



12505



~~Ph.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-27*  
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

*St. Mikkel. alced*

PROPOSITIONES  
REPETENTES 33  
SUMMAM VERÆ ET

in corruptæ doctrinæ,

De Iusticia Fidei,

ET

De Bonis Operibus:

DE QVIBVS, DEO IUVANTE,

pro Licentia accipiendi gradum Doctorum in  
Theologia respondebunt Reuerendi, &

Integerrimi Viri:

M. JOANNES FLEISSERVS,  
*vocatus ad gubernationem sanctissimi Ministe-  
rii Ecclesiastici in Inclyta Republica Uratisla-  
uiensi:*

M. CONRADVS BERGIVS, PA-  
*stor Ecclesie Cathedralis in Inclyta veteri Urbe  
Pomerania Stetino:*

P R A E S I D E

Dauide Voito Doctore,

Die IIII. Iulij, Anno M. D. LXXXIX.

VVitebergæ Excudebat Matthæus VVelack.

PROPOSITIONES  
REPETENTES  
SUMMA VERBA ET

Incompletae doctrinae

De Iusticia Fidei

ET

De Bonis Operibus

DE QUIBUS DEO IVANTUR

profectus accipit gradum Doctorum in

Theologiae et Philosophiae

Ingenium

M. JOHANNES FELIX RIVS

locutus in universitate studii Vindobonensis

in diebus festis in festo Corporis Christi

M. GONRARDVS BERGIVS P. A.

Magister Collegii Catholici studii Vindobonensis

Imprimatur

1671

Paulus Otto Doctor

1671

Vindobonae Excuditur M. J. R. V. S.



# PROPOSITIONES

De Iusticia Fidei,

ET

De Bonis Operibus,

M. JOANNES FLEISSERVS.

I.



Mnium beneficiorum Dei longè maximum, maximeq; necessarium est, quod DEVS non voluit perpetuò latere, sed immensa bonitate & misericordia, prodiens ex illa sua arcana sede & luce ignota, omnibus creaturis patefecit se, certis & minimè fallentibus testimonijs, & non solum sua voce reuelauit arcanum decretum, inenarrabili temperamento Iusticiæ & Misericordiæ, in consilio Diuinitatis factum, de Redemptione hominum, & de Remissione peccatorum, per & propter Filium, & de collectione Ecclesiæ æternæ, ex tam corrupta massa generis humani; Sed etiam hæc mysteria scribi & monumentis literarum per Prophetas & Apostolos comprehendere voluit. Vt Psal. 102. dicitur: Scribantur hæc in generatione altera, vt populus, qui creabitur, laudet Dominum,

II.

Hoc tantum beneficium Dei grata mente agnoscimus & celebramus, & disertè affirmamus coram DEO, & vniuersa Ecclesia in cælo & in terra, nos vera fide amplecti totam doctrinam, in Prophetarum & Apostolorum libris traditam. Neq; vero ludis

A 2 mus

mus præstigijs interpretationum, nec miscemus religiones in vnum chaos, sed de omnibus & singulis Articulis Fidei, & de Iusticiæ Fidei sigillis, piè & intuiolatè retinemus nativam sententiam & consensum Ecclesiæ Dei Catholicæ & Orthodoxæ, qui expressè traditus est, in Symbolis, Apostolico, Niceno, Athanasiano & Chalcedonensi, & in Confessione Augustana, & eiusdem Apologia, quam & harum terrarum Ecclesiæ profitentur. Abhorremus etiam ab omnibus Idolis, blasphemijs, corruptelis & fanaticis opinionibus, cum hoc consensu pugnantibus, & iudicio veræ Ecclesiæ damnatis, & in hac fide, inuocamus DEVM, cum tota Ecclesia rectè sentiente, quam non fingimus idæam Platoniam sed dicimus cœtum visibilem esse, in quo sonat vox Euangelij incorrupta, retinetur vsus legitimus Sacramentorum, & præstatur obedientia debita ministerio, cuius cœtus membrum est hæc ipsa Ecclesia harum regionum, in quibus nos viuimus,

III.

Cum autem certissimum sit, Deum sibi Ecclesiam in genere humano, non aliter, nisi voce doctrinæ diuinitus traditæ, colligere, institutum est Ministerium Euangelij, inde vsq; ab initio post Adæ lapsum, in quo Ministerio, vult Deus omnibus temporibus sonare suam vocem, arguentem peccata totius generis humani, & promittentem omnibus pœnitentiam agentibus, Remissionem, peccatorum, reconciliationem cum DEO, imputationem Iusticiæ, donationem Spiritus sancti, & restitutionem Iusticiæ & vitæ æternæ, propter Filium Mediatorem, DEVM & HOMINEM, qui ipse hanc vocem Ministerij Euangelici complexus est: Luc. 24: Cum iubet prædicari in nomine suo, pœnitentiam & Remissionem peccatorum, inter omnes gentes,

IIII.

Nequaquam enim nobis naturaliter notum est, omnes homines, nascentes ex virili semine, afferre secum peccatum, esse filios iræ natura, Ephe. 2: Et reos æternæ damnationis, & à regno Dei

Dei exclusos, Ioh. 3: Eosq; pœnitentiam agentes, in nomine Mediatoris Christi, habere Remissionem peccatorum, nisi verbum diuinitus reuelatum, & voce Ministerij publicè sonans, nos id doceret: sicut dicitur Rom. 1. Iusticia DEI in Euangelio reuelatur, ex Fide in Fidem, sicut scriptum est: Iustus ex Fide viuet. Reuelatur enim ira DEI de cœlo, super omnem impietatem & iniusticiam hominum, qui veritatem Dei in iniusticia detinent. Et Rom. 3: Nunc sine Lege iusticia DEI manifestata est, de qua testificantur Lex & Prophetæ, iusticia autē Dei, per Fidem IESV Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Ro. 10. Fides ex auditu est, auditus per verbum: Item, Quomodo credent, de quo non audierunt? Quomodo audient absq; prædicante?

V.

Sicut autem hi, qui firma sunt valetudine, nullosq; sentiunt in corpore cruciatuum dolores, non quarunt Medicum, teste Christo, Matth. 9. οὐ θέλω ἔχουσιν οἱ ἰχοντες ἰατρῶν, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. Ita homines securi, & propriæ iusticiæ fiducia tumentes, neq; mirantur, neq; requirunt beneficium Euangelij proprium, quod est Iustificatio seu Remissio peccatorum.

VI.

Ideo Paulus, Articulus Iustificationis traditurus, qui reuera Fidei Articulus summus est, quo vel sublato, vel deprauato, Ecclesia non potest consistere, neq; Deus suam gloriam reuere, quæ est, quod sit Misericors, & quod propter Filium velit peccata condonare, & saluare, vt præclare LUTHERVS iudicat, Gen. 21: orditur à concione pœnitentiæ vniuersali, in qua, non tantum Gentes, horribili idolomania, & tetra libidinum confusione pollutas: verum etiam Iudæos, viuentes sine timore Dei & Fide, accusat, eosq; reos coram DEO pronunciat.

VII.

Nemo enim Legi DEI, in hac naturæ deprauatione satisfacere potest, sed circumferimus omnes, in mente, magnam caligi-

A 3

nem

nem, & dubitationes varias de DEO, & in voluntate horrendam  
auersionem à DEO, & in corde contumaciam multiplicem, secus  
ritatem negligentem Deum, diffidentiam fugitantem Deum, &  
infinita malorum affectuum incendia, quæ sunt inimicitia ad  
uersus DEVM, & damnata à Deo, iuxta illud Gen. 8. Cogitas  
tio (seu vt verba in Hebræo sermone magis sunt illustra, opitici  
um seu πλάσμα) humani cordis, mala est à pueritia, h.e. ipsa cordis  
massa corrupta aut certè omnes motus seu ὄρμαι in corde sunt as  
uersæ à Deo. Et, Rom. 8. φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν τὸ γὰρ  
νόμος τῷ θεῷ οὐκ ὑποτάσσεται, οὐδὲ γὰρ δύναται.

VIII.

Propter hanc, quæ in nobis est, ἀνομίαν (natura enim huma  
na post lapsum in nos propagata, ad Legem non aliter congruit,  
ac lignum distortum ad normam ædificij) omnes tristi iudicio le  
gis premimur, ac damnatoria hac sententia tenemur, quam Moses  
complexus est, Deut. 27. Maledictus omnis, qui non implet  
verba Legis, vt faciat ea.

IX.

Hinc etiam Paulus infert ac firmissimè concludit Rom. 3.  
Ex Lege neminem coram DEO iustificari, h.e. ex operibus Le  
gis in conspectu Dei, iustum fieri & ipsi acceptum esse.

X.

Hæc, de hoc Articulo docendi ratio, in Ecclesia est vsitatiss  
ma, habetq; authorem eum, qui est λόγος & ἐρμηνεύς μεγάλων βου  
λευμάτων τῷ θεῷ, Et ab Esaia cap. 9. Consiliarius, & cap. 41. Eus  
angelista dicitur. Hoc est, Filium DEI, Dominum nostrum  
IESVM CHRISTVM.

XI.

Is enim Misericordia motus, mox post lapsum in Paradiso,  
primos parentes prius obiurgauit, ἵνα iram & iudicium DEI  
aduersus peccatum annunciauit: postea consternatis, & cum des  
peratione iam luctantibus, pronunciauit absolutionem, edita ar  
cana



cana promissione, de ventura liberatione, Semen mulieris conteret caput Serpentis, Gen. 3.

XII.

Nec aliud suarum concionum exordium fecerunt Prophetæ & Apostoli, quam hanc vocem, quæ semper omnibus ætatibus in genere humano, vbiq; fuit Ecclesia, sonuit, & totius rei summam complectitur; **AGITE** Pœnitentiam, & credite Evangelio, Marc. 1.

XIII.

Vult enim **DEVS**, in nobis esse aliquam contritionem, & pauores conscientie, agnoscentis atrocitatem peccati, & sentientis iram & iudicium ipsius aduersus peccata nostra, & dolentis propter peccatum: sicut dicitur: Ioel. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Et 1. Cor. 11. Si nos iudicaremus ipsi, (h. e. vera dolore afficeremur, agnita ira **DEI**) non iudicaremur à Domino.

XIIII.

Vult etiam illam contritionem in nobis crescere, & quidem ita, vt non solum externa delicta, sed etiam interiorum immunditiam, videlicet, dubitationem de **DEO**, securitatem, admirationem nostri, seu superbiam, & alios vitiosos affectus agnoscamus & deploremus, & iram ipsius expauescamus. Sicut dicitur Rom. 1. 3. Reuelatur ira **DEI** de cœlo super impietatem & iniusticiam omnium hominum, vt omne os obturetur, & reus fiat totus mundus **DEO**.

XV.

Sunt autem quatuor modi, quibus Deus in reuelatione suæ iræ & iudicij sui aduersus peccata vtitur. **PRIMVS** est ipsa vox Dei, sonans in ministerio Legem & comminationes Legi additas, quæ nequaquam sunt inania terculamenta, sicut historia Diabolorum & hominum ostendit. Propter hunc usum Lex Dei nominatur, Ignis consumens stipulas, Deut. 4. & 9. Et, Malleus, contes

conterens petras, Jerem. 23. Et Rom. 3. dicitur, per Legem  
agnitio peccati; Rom. 4. Lex iram operatur. **SECUNDVS**  
complectitur molem calamitatum, publicarum & priuatarum, &  
ipsam mortem corporalem, quæ omnia nihil aliud sunt, quàm  
signa reatus: Psal. 39. Propter peccata corripis filios hominum,  
Jerem. 4. Tunc sentiet cor tuum, quanta sit malitia tua. Ad  
**TERTIVM** modum, pertinent horribiles pauores, & inenarr-  
rabiles cruciatus conscientia, quos **DEVS** sæpè singulari cons-  
ilio incutere solet ijs, qui sunt ea asperitate, & immanitate naturæ,  
vt nec voce Ministerij, sonante in Ecclesia, nec signis reatus ad  
pœnitentiã flecti velint. Hic modus variè describitur in Psalmis,  
& nominantur: Vulnerari sagittis Dei, premi manu DEI, item,  
dolores mortis, & pericula inferni, Psal. 38. **QUARTVS**  
modus, euoluens atrocitatem peccati, & magnitudinem iræ di-  
uinæ, eamq; quasi euolutam, intus contemplandam hominum  
oculis proponens, est, Passio & Mors Filij Dei, de qua dicitur  
Esa. 43. Seruire me fecisti in peccatis tuis: laborem præbuis-  
ti mihi in iniquitatibus tuis.

XVI.

**ANTEQVAM** vero, ad doctrinam saluberrimam &  
dulcissimam de Iustificatione, quæ propria est Euangelij, acceda-  
mus, vis & significatio, vocabulorum **IUSTICIÆ**, **GRA-  
TIÆ**, & **FIDEI**, quorum vsus in hac materia frequens est, nec  
ijs carere possumus, accuratè excutienda est.

XVII.

De vocabulo **IUSTICIÆ**, Primùm diligenter conside-  
randum est, hoc loco quæri de Iusticia Personæ, & quidem de  
Iusticia coram DEO, vel in iudicio DEI, quod Paulus dicit  
esse, secundum veritatem, Rom. 2. Deinde sciendum est, scri-  
pta Prophetica & Apostolica concionari de duobus generibus  
Iusticiæ, quorum alterum nominatur, **IUSTICIA LEGIS**:  
Alterum, **IUSTICIA EVANGELII**, vel **IUSTICIA  
FIDEI**, Rom. 1, 3. 10. Phil. 3.

18. IUSTI.

XVIII.  
**IUSTITIA** Legis est facere Legē, seu præstare opera  
Legis, vel, est conformitas cum Lege Dei, Deut. 6. Leuit. 18.  
& 20. Luc. 10. Rom. 10. Huius iustitiæ tres sunt Gradus.  
**PRIMVS** & summus est proprius DEI, Bonorum An-  
gelorum, primorum parentum ante lapsum, & hominum be-  
atorum, in vita & consuetudine æterna cum DEO. Ac in  
Deo quidem est, ipsa sapientia DEI, iuxta Legem suam, discer-  
nens recta & non recta, & voluntas DEI, volens recta, & sua  
quadã lætitia acquiescens in rectis, & nolens contraria, sed vera  
indignatione repellens ac destruens ea, sicut dicitur: Non De-  
us volens iniquitatem tu es. Psal. 5. Hæc omnia sunt, quæ odi,  
dicit Dominus, Zachar. 8. Hæc iustitia DEI rectè nomina-  
tur **DEVS** ipse, vel essentialis **IUSTITIA** DEI. Estq̃  
ignis consumens, ad quem collata, vel admota natura humana  
post lapsum, est stipula, Deut. 4. Job. 13. Esa. 47. Nahum, 1.  
Malach. 4.

XIX.  
In Angelis verò, & Beatis hominibus, est, integra & per-  
fecta conformitas, & obedientia omnium virium, iuxta Legem  
DEI, sine peccato, sicut de Angelis dicitur: Angeli semper vi-  
dent faciem æterni patris, Matth. 18. Talis fuit conformitas  
cum Lege DEI, in primis parentibus ante lapsum, & nomina-  
tur **IMAGO** DEI, & **IUSTITIA** Originalis Ephe. 4.  
Coloss. 3. Talis quoq̃ erit conformitas cum DEO, beatorum  
hominum in vita æterna, ubi Deus erit omnia in omnibus,  
1. Cor. 15. Nos spiritu in Fide, spem iustitiæ expectamus, Ga-  
lat. 5. De hoc primo gradu iustitiæ Legis, verissimè exclamat  
Dauid: Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non ius-  
tificabitur in conspectu tuo omnis viuens, Psal. 143.

XX.  
**SECUNDVS** Gradus iustitiæ Legis, est obedi-  
B tia

tia externa, seu diligentia humanae rationis, qua frenantur externa membra, ut sint in officio, nec ruant contra Legem *DEI*, & alias honestas Leges. Hic Gradus, usitate nominatur *DISCIPLINA*. Christus nominat iusticiam Pharisaicam, Matth. 5. Apostolus, iusticiam carnis, Heb. 9. Philosophi distribuunt hunc gradum, in iusticiam universalem & particularem, Etsi autem omnes homines, etiam non renati, hanc obedientiam, non solum praestare utcumque possunt, sicut Rom. 2, dicitur: Gentes, quae Legem non habent, natura faciunt ea, quae sunt Legis: sed etiam ad eam praestandam obligati sunt, propter quatuor causas, *PRIMUM*, propter mandatum *DEI*. *DEINDE* ad vitandas poenas. *TERCIO*, ut aliorum tranquillitati seruiamus. *QUARTO*, quia est poenae dagogus in Christum: Tamen de hoc gradu tenendae sunt duae regulae. Matth. 5: Nisi iusticia vestra superabundauerit, plus quam Pharisaeorum & Scribarum, non potestis ingredi in regnum caelorum. Et, Tit. 3: Non ex Operibus iusticiae, quae nos feceramus, sed per Misericordiam saluos nos fecit: Hoc est, iusticia carnis, nequaquam est impletio Legis, nec est iusticia coram *DEO*, nec est causa, nec est meritum Remissionis peccatorum.

XXI.

*TERTIUS* gradus, complectitur nouam obedientiam in Renatis, quae etsi placet *DEO*, iactio prius fundamentum, h. e. agnito Mediatore, & propter eum, accepta Remissione peccatorum: Tamen propter multiplicia impedimenta, interna & externa, plurimum ei deest, de perfectione, nec potest opponi iudicio *DEI*: Sicut Paulus inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, 1. Cor. 4.

XXII.

*IUSTICIA* Euangelij, est, Remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, imputatio iusticiae, & acceptatio ad vitam

vitam aeternam, qua Deus propter Filij deprecationem, intercessionem, obedientiam & meritum, omnib. in vera conuersione, Fide, confugientibus ad hunc Mediatorem, remittit peccata, & Iusticiam imputat, h. e. perinde nos recipit, ac si essemus legaliter iusti, seu obedientes, sine peccato.

XXIII.

De hac Iusticia Paulus inquit, Rom. 3: Propterea quod ex operibus Legis non iustificatur omnis caro in conspectu DEI, Per Legem, n. agnitio peccati, Nunc sine Lege Iusticia DEI patefacta est, Iusticia vero Dei per Fidem Iesu Christi. Nominatur autem Iusticia Dei, vt Augustinus ait Tract. 26, in Iohannem: Non, qua Deus ipse iustus est, sed quam dat homini DEVS, vt iustus sit homo per Deum. Et Psalm. 31. inquit: Est Iusticia DEI, quae & nostra fit, cum donatur nobis. Ideo autem DEI Iusticia dicitur, ne homo sese putet a se ipso habere Iusticiam,

XXIII.

Quae sit propria & natia sententia verbi IUSTIFICARE, testatur dictum, Deut. 25. Si inter viros fuerit disceptatio, venient in iudicium, in quo cognita causa, iudices eum, quem iustum perspexerint, iustificabunt. Quem vero impium perspexerint, condemnabunt. In hoc dicto perspicuum est, verbu IUSTIFICANDI opponi verbo CONDEMNANDI: & Iustificare, prorsus idem significare, quod absolvere in iudicio a culpa & a poena, seu iustum & innocentem pronunciare. Similia exempla, passim occurrunt in scriptis Prophetis & Apostolicis, vt Exod. 23: Non iustificabo improbum. Prou. 17: Iustificans improbum & condemnans iustum: Vterque est abominatio coram Domino. Esa. 5: Vae qui iustificant impium propter munera,

B 2 25. Cum

## XXV.

Cum his testimonijs, planè congruunt, dicta Noui Testamenti, Factores Legis iustificabuntur, Rom. 2. Deus est qui iustificat, quis est qui condemnat? Rom. 8. Et de Publicano dicitur, Luc. 18. Descendit hic iustificatus, h. e. absolutus à peccato, consecutus Remissionem peccatorum, acceptus & placens DEO Act. 13. Per hunc vobis annunciat Remissio peccatorum & ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Mosi iustificari, Per hunc omnis, qui credit, iustificatur.

## XXVI.

Hæc & similia Testimonia ostendunt, veram, propriam, & natiuam significationem verbi IUSTIFICARI esse, in iudicio DEI absolui à peccato, à maledictione Legis, & ab æterna damnatione, seu Remissionem peccatorum coram Deo consequi, iustum à Deo pronunciarì. Pellantur igitur ex agro & finibus, Loci de Iustificatione, peregrinæ interpretationes, quas Sophistæ in regno Pontificio, & alij horum similes, verbo Iustificandi affingunt, etiam contra consuetudinem Latini sermonis, contendentes verbo IUSTIFICANDI significari imbuere aliquem habitu iusticiæ, vel infundere qualitatem iusticiæ.

## XXVII.

Vocabulum GRATIÆ, miserabili inscitia, & intolerabili licentia deprauatum est, à Pelagio, & Monachis. Nam Pelagius, vt scribit Augustinus lib. 1. de Gratia Christi, cap. 6. appellatione Gratia nihil aliud intelligit, quàm Legem atq; doctrinam, qua naturalis possibilitas adiuuatur. Monachi vero, & horum propugnatrix Synodus Tridentina, concinnio rem sententiam quærentes, vocabulum GRATIÆ, accommodant, tantum ad nouos motus à Spiritu sancto excitatos, & propter hos personam DEO placere fingunt. Harum duarum opinionum neutra congruit ad dicta de Iustificatione, qualia

qualia sunt : Iustificamur GRATIS, GRATIA ipsius,  
Rom. : Gratia Dei saluati estis per Fidem. Ephe, 2: Non estis  
sub Lege, sed sub Gratia, Rom. 6.

XXVIII.

Contra has corruptelas, sciendum est, Gratiam in doctrina  
de Iustificatione, significare causam efficientem Iustificatio-  
nis, videlicet, Gratuitam Misericordiam in Deo, qua DEVS  
omnibus credentibus in Filium, GRATIS remittit peccata,  
eosq; acceptat ad vitam æternam propter Filium. Simul autem  
opponitur vocabulum Gratia, merito & dignitati nostrorum  
operum & qualitatum in nobis: Sicut hæc <sup>ævti deo</sup> traditur, &  
vrgetur à Paulo, Rom. 4: Ei, qui operatur, merces, non imputas-  
tur secundum gratiam, Rom. 11: Si per Gratiam, iam non ex  
Operibus. Abijciatur igitur, vt Augustinus inquit Epist. 105,  
à Christianis cordibus, fallacia Pelagianorum. Nam omnino  
non istam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt ho-  
mines iusti essemus: Sed Gratia Dei, vt idem in Epist. ad Gal.  
scribit, est, qua nobis condonantur peccata, vt reconciliemur  
DEO.

XXIX.

Sicut autem Baptista Pelagianos refutat, Ioh. 1: inquie-  
ns: Lex per Moysen data est: Gratia autem & veritas per  
Christum facta est: q. d. Etsi Legis doctrina Pharisæis, Pelagianis  
& omnium temporum Hypocritis ad Iustificationem salu-  
tatis videtur: Tamen res atq; euentus in experientia spiritali  
ostendit, Legem esse potentiam peccati, 1. Cor. 15: Ne autem  
homines expertes veræ consolationis ruant, vel in Epicuræum  
contemptum DEI, vel in desperationem, Gratia, h. e. immensa  
& inenarrabilis Misericordia DEI, declarata est in missione  
Filij, propter quem Gratis remittuntur peccata, & homines  
consequuntur vera, æterna & permanentia bona. Ita Mona-  
chis, Scribis indoctis ad Regnū cœlorum, opponatur concio  
Pauli,

Pauli, Rom, 5. in qua dicitur: **GRATIA DEI & DONUM** per gratiam, quæ est Vnius hominis IES V Christi, in multos exuberat. Vtitur Paulus duabus appellationibus, vt discernat hæc duo, Gratuitam acceptationem, & nouas virtutes, per Spiritum sanctum in nobis accensas. Etsi enim verissimum est, cum Remissione peccatorum, semper coniunctam esse donationem Spiritus sancti: tamen Apostolus nequaquam vult hæc duo confundi. Ideo autem discernitur **GRATIA** à **Dono**: quia renati statuere debent, quòd habeant Remissionem peccatorum, & sint recepti, etiamsi modus doni dissimilis est, & quod obedientia Filij DEI, longè anteferenda sit omnibus actionibus DEI in nobis.

XX X.

In Doctrina de Iustificatione ideo necesse est fieri mentionem Fidei, quia oportet aliquem motum esse, quo accipimus hoc beneficium, idè nobis applicamus: Hoc Medium seu Instrumentum, respectu nostri, est Vnica Fides. Sicut enim **DEVS** non aliter colligit Ecclesiam, nisi Ministerio Evangelij, in quo nobis offeruntur beneficia Christi: Ita Sola Fides est Virtus, apprehendens & applicans res preciosissimas, in Evangelio oblatas, videlicet, **CHRISTVM**, & omnia eius beneficia.

XXXI.

Cùm autem res nulla sit, de qua hoc tempore inter nos, & agmen Pontificium, maior dimicatio est, quàm de vera & nativa significatione vocabuli **FIDEI**, (Etenim Aduersarij pertinacissimè, & sine vllò fine contendunt, Fidem tantum significare noticiam seu Professionem Articulorum Fidei, coniunctam cum dubitatione, quam ipsi Humilitatem vocant, & cum qualicunq; disciplina;) Nos reiecta & repudiata hac Pyrrhonica Philosophia, vtraque manu & toto pectore hanc Hypothesin teneamus: Quòd Fides, in sermone Prophetico & Aposto-



Apostolico significet, non solum assentiri Historijs, & profiteri Articulos Fidei: sed etiam promissionibus, cui assensioni coniuncta est, & simul responderet in voluntate & corde, Fiducia & læticia, qua homo acquiescit in DEO, de re bona, oblata in promissione: Sic acquieuit animus Iosaphat, cum ei promissa esset victoria, 2. Paral, 20.

XXXII.

Probamus igitur & constanter retinemus hanc Fidei definitionem, in Ecclesijs nostris vsitatam: FIDES est assentiri omni verbo DEI nobis tradito, & in hoc promissioni gratiæ, propter Filium promissæ, quo assensu, apprehenditur promissio Remissionis peccatorum, & reconciliationis, & est fiducia in voluntate & corde, acquiescens in DEO, propter Mediatorem, accensa à Spiritu sancto per Verbum, qua cor in sensu iræ DEI & veris pavoribus, agnita misericordia DEI, reuiuiscit, & lætatur in DEO, & accedit ad DEVM, & inuocat eum, clamans Abba pater, Rom, 8.

XXXIII.

Hanc esse veram Fidei significationem, testantur hæ demonstrationes, ex contextu & vi verborum Pauli desumptæ, PRIMVM enim Correlatiuè conferens Apostolus promissionem ad Fidem, disertè inquit, Rom, 4. Promissionem fore ociosam, nisi accipiatur Fide. Ergo vult, Fidem intelligi non tantum de notitia Historiæ Articulorum doctrinæ cœlestis, sed de Fide tali, quæ promissionem Gratia & Misericordiæ inuenteatur, eiq; assentiens innitatur, & Christi beneficium, in Evangelio ostensum, accipiat, ac in eo appræhenso suauiter acquiescat, quam, Fiduciam appellare solemus. Ideo, inquit Apostolus, ex Fide GRATIS, vt firma sit promissio. Et, Gal, 3. Vt promissio ex Fide Iesu Christi detur Credentibus.

SECVN-

## XXXIII.

SECUNDA Demonstratio, quæ valde est illustris, sumitur ab effectibus, qui sunt, teste Paulo Rom. 14: Iusticia, pax, & gaudium, in Spiritu sancto. Vera enim FIDES, agnoscens misericordiam in Christo promissam, & accipiens Remissionem peccatorum, iustificat impium, agentem poenitentiam, ut dicitur Actor. 13. In hoc, omnis qui credit, iustificatur; Purificat corda, Act. 15: Et in veris pavoribus, ortis ex sensu iræ & iudicij diuini aduersus peccatum, mentem perterrefactam & prostratam fulmine Legis, erigit & viuificat, ut ostenso & apprehenso Mediatore, omnes peccati terrores, ac quæ de indignitate, motæ sunt tentationes, vincat, 1: Ioan. 5: & ad DEVM accedat, ἢ πεποιθήσει αὐτὸν παρρησίᾳ, h. e. ingenuè & liberè se totam aperiat, & à DEO petat & expectet bona necessaria, freta quidem, non Iusticia nostrorum operum, sed promissione, merito, & intercessione Filij Mediatoris, nos præeuntis & quasi manu, nos in conspectum patris ducentis: sicut dicitur Eph. 2: Δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν οἱ ἀμφοτέρωθεν ἐν ἐνὶ πνεύματι πρὸς τὸν πατέρα. Et Ephe. 3: Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παρρησίαν, ἡμεῖς τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ.

## XXXV.

Hanc Fidem, qua iustificamur, & Deo reconciliati & liberati ex doloribus mortis & inferorum, ad DEVM accedimus, & in eo acquiescimus, accuratè Paulus vult discerni, à Fide Historica, quam in Hypocritis & Diabolis quoque esse concedimus, quoties effectus Fidei veræ, commendat & prædicat. Ut cum ait, Rom. 5: Iustificati Fide, pacem habemus cum DEO. Item, Per Christum habemus accessum in Gratiam hanc, seu ut Epistola ad Hebr. cap. 5: loquitur, ad thronum Gratia. Rom. 1. Gal. 3: Iustus ex Fide viuet.

## XXXVII.

Nam Fides Historica sola, non adfert pacem, imò auget pauores,

pauciores, trepidationes & desperationem, excitat acerbissimum  
odium DEI, & fugam DEI, ac fremitum contra DEVM. Vnde  
de Diabolis Iacobi 2. dicitur: quod *πιστεύουσι καὶ φοβήσονται*, h. e.  
ad DEI cogitationem exhorrescunt. Sciunt enim, Christum iu-  
dicem esse constitutum, seque iam catenis tenebrarum ligatos,  
seruari ad diem illum tremendum, quo propter sua scelera, &  
blasphemias summas, in æternas pœnas & cruciatus, sint abij-  
ciendi.

XXVII.

Adde huc: Quod Notitia non excutitur nec amittitur lapsibus.  
contra conscientiam, Fides autem iustificans, quæ est fiducia Mi-  
sericordiæ diuinæ, excutitur talibus lapsibus, manente nihilomi-  
nus notitia, in parte cognoscente: Sicut dicitur 1. Ioh. 3: Si cor  
nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus erga De-  
um, quod preces nostræ exaudiantur. In hoc dicto  
disertè affirmat Apostolus, Fidem & malam conscientiam,  
non posse simul existere: Vnde etiam Paulus nominat  
*πίστιν & κακὴν συνείδησιν*, 1. Tim. 1.

XXVIII.

Quare perspicuum est, Fidem non tantum de noticia in-  
telligi oportere, sed multò magis, de assensu & fiducia.

XXIX.

Ad has confirmationes, addantur testimonia, piæ Vetustas-  
tis, quæ ostendunt consensum Ecclesiæ Catholicæ, h. e. Omnia-  
um eorum, qui retinent Fundamentum, & intelligunt exercitia  
pœnitentiæ & inuocationis. Inter hæc testimonia, præcipuè  
eminet, grauissima asseueratio Augustini, quæ extat libro de  
Spiritu & Litera cap. 22. Non hanc fidem commendat Apo-  
stolus, qua pœnam Legis formidamus, sicut inquit: Non acce-  
pistis Spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed Spiritum ad-  
optionis, in quo clamamus Abba Pater. Hæc Fides, qua  
C postulamur

postulamus à Deo nihil hæsitantes, est, ex qua iustus vivit.  
Hæc est Fides, qua creditur in eum, qui iustificat impium.  
Hæc est Fides, per quam excluditur gloriatio. Hæc est Fides,  
qua impetratur largitas Spiritus.

XL.

Cum de vocabulorum Iusticiæ, Gratiæ, & Fidei signifi-  
catione & usu, nobis constet, rem ipsam nunc, DE O præes-  
unte & ducente, aggrediamur, & videamus, quid sit IVSTI-  
FICATIO, quæ illius causæ, quis modus, quæq; sententiâ  
Propositionis Paulinæ: FIDE IVSTIFICAMVR.

XLI.

Meminerimus autem primùm omnium, hanc Negatis-  
uam, quæ ex contrario sumpta est: & ipsum Paulum habet  
locupletiss. testem: HOMINES non esse iustos ex operis-  
bus: Seu, impossibile esse, quenquam posse ex Lege iustis-  
ficari. Ratio est, Quia omnes sunt sub peccato, nec ser-  
uant Legem, sicut scriptum est: Non est iustus, ne vnus quis-  
dem: Psal. 14, & 53.

XLII.

Nam falsissimum esse asserimus, quod quidam hypocritæ  
non esurientes, nec sitientes, sed potius ructantes Iusticiam, vt  
Augusti. loquitur, Vniuersalem hanc accusationē eludere con-  
nantur, & Synecdochen quandam imaginantur: quasi Paulus  
non prorsus omnes, sed plurimos arguat, & ab hac Vni-  
uersali velut esse exceptos, quorum mores sunt honesti & in-  
culpatis. Hæc Synecdoche tetrum & horribile mendacium  
est, quo & iudicij diuini seueritas extenuatur, & magnitudo  
Misericordiæ diuinæ obscuratur, & confirmantur Pharisæicæ  
opinionēs, quæ fingunt, homines iustos esse disciplina.

43. Ideoq;

Ideoque Apostolus, hoc prudenter cauere voluit, ne vilius hominis exceptio fingi posset, dum subinde repetit & inculcat VNIVERSALEM, & addit rationem, quæ ostendit, quid accuset, inquiens: Eò quod ex operibus non iustificabitur omnis caro, Hac enim voce, non tantum omnes personas accusat, easque, coram DEO, reas facit: verum etiam omnibus virtutibus & operibus, quæ videbantur iudicio rationis, non recte informato, exceptionem parere, opinionem meriti, & laudem iusticiæ coram DEO detrahit. Quia nostra opera non possunt iudicio DEI opponi, Teste Iob, c. 9. Verè scio, quod homo non sit iustus coram Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille, &c. Psal. 143. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

## XLIIII.

Huic Negatiuæ recte tandem subiicitur affirmatiua; HOMINEM iustificari FIDE propter Christum, Rom. cap. 3. Hoc est, habere Remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ, & acceptari ad vitam æternam, Fide, apprehendente Misericordiam, in Christo promissam, GRATIAS, non propter vllam nostrorum operum dignitatem, virtutes proprias, & merita nostra.

## XLV.

Nam iuxta sententiam Pauli, quæ sine dubio omnium piorum in Ecclesia perpetua est confessio, IUSTIFICATIONEM aliter non definimus, quam quod sit, acceptio Remissionis peccatorum, & Reconciliationis seu acceptationis gratiæ propter Filium DEI: quæ cum FIDE accipitur, verissimum est, simul Filium Dei corda viuificare, dicere consolationem in cordibus per Euangelium, & Spiritu sancto accendere

C

dere

dere tales motus, qualis est ipse: sicut dicitur: Ierem. 3: Dabo Legem meam in corda eorum.

XLVI.

Iustificationis vocabulo, eò libentius, cum Scriptura Veteris & Noui Testamenti utimur, quod rem totam, tanquam in illustri Hypotyposi, verbis significantibus, sub oculos ponit. Peccator enim voce Legis citatus, sese in iudicio DEI sistit, & audit quidem tristem sententiam: Morte morieris: quam iustam esse, conscientia quoque ipsius attestatur: sed intercedente Mediatore Christo, eiusque sua merita applicante, & Iusticiam imputante, Fide, à Misericorde Deo propter Filium Iustificatur, h. e. à Legis sententia damnatoria, & à reatu absoluitur, & iustus, id est, Deo placens, & acceptus pronunciat, donata ipsi Remissione peccatorum, & vita æterna.

XLVII.

Hanc relationem, vocabulo Iustificationis comprehendendi, manifestum, est ex Paulo Rom. 4. qui ut ostendat perpetuum Ecclesiæ consensum de Iusticia Fidei, repetit exemplum Abrahamæ, de quo Moyses inquit: Credidit Abraham Deo, & hoc imputatum est ei ad Iusticiam. Hoc dictum, coniungit Definitum & Definitionem, & docet, Imputationem Iusticiæ esse Iustificationem, & fieri Fide. Deinde, allegat authoritatem Davidis, qui pronunciat beatum eum, cui Deus imputat Iusticiam, absque Operibus, dicens: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.

XLVIII.

Ac meminerimus, hominem, qui Iustificatur, debere de se, atque de omnibus suis operibus desperare, & ex oculis, actiuam Iusticiam remouere, mente sublata ad conspectum solius Iusticiæ passiuæ, quæ Dei donum est simpliciter, & quam Deus in nobis operatur, ut aliquoties nos admonet, Reuerendus

dus

us Pater D. D. Lutherus in postremo commentario Epistolae ad Galatas.

XLIX.

Et quanquam verum est, in hac consolatione, cum Fide corda eriguntur, & viuificantur, simul inchoari nouam Obedientiam, dato Spiritu sancto, & DEVM in corde hominis renati habitare: tamen semper hæc consolatio debet prælucescere, quod credens placeat, & acceptus sit DEO, GRATIS, propter Mediatorem, nulla operum nostrorum concurrente dignitate: vt constat potissimum ex Dauide, qui ad hoc vnicum obiectum respicit, & eo agnito, in lucta Fidei cum tentationibus varijs, clamat Psal. 35. Dic animæ meæ, salus tua ego sum. Psal. 42. Sitiuit anima mea, ad DEVM meum viuuum. Et Psal. 51. Misere mei DEVS, propter Misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

L.

In infinitum enim, anteferenda est Christi obedientia & meritum, nostræ nouitati: ac imprimis conscientia perterrefactæ & saucia in veris doloribus, ducenda sunt, non ad opera Sanctorum, nec ad dignitatem suæ qualiscunq; Iusticiæ: verum ad agnitionem beneficiorum, & meritorum Christi Mediatoris, per quem solum, Gratia & Veritas nobis facta est, Iohan. 1.

LI.

Sic igitur hominem peccatorem Iustificari, coram Deo, dicimus, cum in conuersione, h. e. in veris doloribus & paoribus, conscientia, luctantis cum desperatione, orta ex sensu iræ DEI, & ex conspectu suæ indignitatis, audit, & Fide amplectitur, promissionem Euangelij propriam, de Filio DEI Domino nostro Iesu Christo, qui factus est nobis à Deo sapientia, Iusticia, Sanctificatio & Redemptio, 1. Cor. 1: ac statuit

C 3 non

non tantum alijs, sed sibi quoque propter hunc Mediatorem,  
DEVM & Hominem, Fide peccata omnia, Originalia &  
actualia, interna & externa remitti, G R A T I S.

LII.

Quod cum sit, Filius DEI, λόγος, verè adest, & efficax  
est, dicens in ipsius corde, voce Euangelij, consolationem, suam  
amque ipsi imputans Iusticiam, donat eum simul Spiritu sancto,  
& facit eum heredem vitæ æternæ. Hinc Paulus ait, Christum  
habitare, per Fidem, in cordibus nostris. Ephe. 3: Et 1. Ioh. 4.  
In hoc scimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quia ex  
Spiritu suo dat nobis. Et rectè ait Athanasius: Quodcumque  
dicitur Spiritus sanctus in homine esse, ibi est per Verbum.

LIII.

Quanquam autem Iustificatio & Regeneratio simul  
sunt, nec possunt nec debent interuallo temporis diuelli & se-  
parari; tamen non sumus Iusti, regeneratione, sed sumus & ma-  
nemus Iusti Gratis, Fide, propter solum Mediatorem. Sicut  
Paulus clarè discernit Iustificationem & Regenerationem,  
Tit. 3: Saluos nos fecit per lauacrum Regenerationis, & Re-  
nouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter, per  
IESVM Christum, Saluatorem nostrum, vt Iustificati, Gra-  
tia ipsius, Hæredes simus vitæ æternæ.

LIIII.

Huius de Iustificatione sententiæ, quam perpetuam totius  
Orthodoxæ Ecclesiæ Iesu Christi, confessionem esse affir-  
mare non dubitamus, fundamentum facimus vniuersam Scri-  
pturam, dextrè intellectam. Verbum enim DEI ἀνοίτως νοῦ-  
μοις, non esse verbum DEI, cum Theodoreto fatemur.

LV.

In primis verò dictum Pauli, quod ceu gemma, vel ma-  
ximè præ cæteris quam plurimis eminet, & quo Apostolus  
summam doctrinæ Christianæ de Iustificatione complexus est  
artificis



artificioſiſſimè: *Justificamur Gratis, ipsius Gratia,*  
*per redemptionem, quæ est in Christo JESU, quem*  
proposuit Deus Propiciatorem, per Fidem, in sanguine eius,  
ad ostendendam Iusticiam suam, per Remissionem peccato-  
rum, Rom. 3.

LVI.

In hoc dicto, quod est perpetua vox Euangelij, & præcia-  
pua consolatio piorum, in omnibus tentationibus, & in media  
morte, ordine recensentur, causæ Iustificationis. Causa effici-  
ens *προηγμενη* in DEO, est Gratia seu Misericordia DEI  
Gratuita: vel, ut Ioh. 3. dicitur, Dilectio DEI, & ut ad Ephes. 1.  
scriptum est, *εὐδοκία τῷ δελίματι*, & *ἐκλογὴ τῆς χάριτος* & *ἡμεῶ-*  
*της θεῶς*, Rom. 11: Causa efficiens *προκαταρκτικὴ*, meritoria seu  
impulsiva, est intercessio & obedientia Filij, usq; ad mortem  
crucis: quam Paulus graui consilio nominat ab effectu, *Red-*  
*emptionem & Propiciationem*. Vult enim nos admonere, de  
admirando & inenarrabili temperamento Iusticiæ & Miseri-  
cordiæ in DEO, & nos docere, Filium Dei Mediatorem pro  
nobis victimam factum, pœnam tanquam *λύτρον* morte sua per-  
soluisse, & iram DEI placauisse. Instrumentalis causa, quo ad  
nos, est Fides. Ea enim sola est quasi manus, qua beneficia, in  
promissione ostensa, apprehēdimus, & nobis applicamus. For-  
malis est, Remissio peccatorum. Intelligenda est autem hæc  
Remissio de continua & præsentī Remissione, etiam post-  
quam renati sumus. Finalis, est gloria DEI, quod sit **DEVS**  
non tantum Iustus, sed etiam summè misericors: sicut dicitur  
Eph. 1: Prædestinauit nos in adoptionem Filiorum, per Iesum  
Christum, in sese, secundum propositum voluntatis suæ, in laus  
dem gloriæ Gratia suæ, qua nos *ἐχαρίτωσεν, ἐν τῷ ἡγαπημένῳ, ᾧ*  
*ὡς ἔχομεν πλὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τὸ αἷματι αὐτοῦ, πλὴν ἄφεσιν τῶν πα-*  
*ραπτωμάτων, κατὰ τὸν πλῆθος τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἧς ἐπερίσσευσεν ἡμᾶς.*

## LVII.

Ex hac causarum distributione, intelligitur, calumniosè, Osiandrum & Pontificios, nostram de Iusticia Fidei doctrinã, traducere, quod sibi non constet, & varios & diuersos iustificationis modos statuere videatur. Non enim plures, sed vnum, de quo iam dictum satis est, iustificationis nostræ coram DEO modum, agnoscimus, nec nobis fraudi apud candidè iudicantes, fore existimamus, quod Scripturam Fidei magistrã & normam secuti, in docendo gradus causarum facimus, ac nunc hanc nunc aliam appellamus.

## LVIII.

In primis, vero diligenter obseruetur in propositione Paulina, particula Exclusiua GRATIS, quæ excludit merita nostra, non meritum Christi, quia oportuit Iusticiæ Dei satisfieri, pœna in Mediatorem deriuata. Cum hac exclusiua congruit forma loquendi in nostris Ecclesiis vsitata, Sola Fide iustificamur. Nec moramur Pontificios, qui nos falsationis accusant, cum secundum literam, in Scripturis Biblicis eam reperiri negant.

## LIX.

Has enim propositiones: Nos, Gratis, Rom. 3. Sine Lege, sine operibus Legis, non ex Operibus, Rom. 3. non ex nobis, Ephes. 2. non nisi Fide, Galat. 2. per Fidem, Rom. cap. 3. In semine, non in seminibus, Galat. 3. Et Sola Fide (qua etiam vetustissimos Patres, Latinos & Græcos, Origenem cap. 3. ad Roman. Cyprianum in expositione Symboli, Hilarium capite septimo in Matthæum; Ambrosium lib. 2. de vocatione gentium, & capite quarto ad Romanos, & alijs multis in locis; Item, Athanasium cap. 3. ad Gal; Basilium, in concione de humilitate, Theodoretum cap. 2. Oseæ, vt de quibusdam scholasticis iam non dicam, vsos esse constat) iustificari æquipollentes esse statuimus. Imò ab ipso Christo,  
hanc

hanc phrasin, Ecclesiae monstratam & traditam esse, asserimus,  
quando dixit, ad Archisynagogum Iairum: Marc. 5. Luc. 8.  
μόνον πίστευε.

LX.

Ac de vera sententia Exclusionarum, hæc quinque Hypotheses teneantur, quarum **PRIMA**, negat excludi à causa Iustificationis, intercessionem, obedientiam, meritum, satisfactionem seu λύτρον, à Filio Dei persolutum, Iusticiæ diuinæ, pro nostris peccatis, Psal. 69. Matth. 20. 1. Ioh. 4. **ALTE**  
**R A**, docet, cum certum sit, precium redemptionis, non Diabolo, sed Iusticiæ diuinæ persolutum esse, particulam **GRA**  
**TIS**, intelligendam esse etiam, respectu Diaboli, iuxta dictum  
Esa. 52. Gratis venundati estis, Gratis redimemini. **TER**  
**TIA**, Omni asseueratione affirmat, Particulis Exclusionis excludi à Iustificatione omnem conditionem, fiduciam & gloriationem causæ, meriti, dignitatis, & gloriæ nostrarum virtutum & operum, siue præcedant Iustificationem, siue à Spiritu sancto inchoata, hanc sequantur, iuxta dictum: Per Legem Fidei, excluditur omnis gloriatio operum, Rom. 3. **QV**  
**ART A**, Monet, particulis Exclusionis, nequaquam tolli, naturalem copulationem Fidei & reliquarum Virtutum, quæ à Spiritu sancto in conuersione, simul cum Fide accenduntur, qualis est inter causam & effectum. In hoc enim scimus, quod ex morte in vitam translati sumus, quia diligimus fratres, 1. Ioh. 3. Fides sine operibus mortua est, Iacobi 2. **QVINTA** docet, particulis Exclusionis, deduci animos piorum consternatos, ad conspectum solius misericordiae DEI, recipientis nos, Gratis, propter Filium Mediatorem, quem solum sola Fides intuetur & apprehendit.

LXI.

Talia considerans, animaduertit, nos non de absoluta, sed **Relatiua Fide** loqui, quando dicimus, Fide sumus iusti. Intel-

D

ligitur

igitur enim hæc propositio correlatiuè, nec vult aliud, quam nos per misericordiam esse iustos, propter Filium Dei, & id beneficium oportere accipi Fide.

LXII.

Grauiſſimas quoq; habemus causas, cur exclusiuas retinendas, nec in vllius gratiam abiiciendas esse censeamus. **PRIMA** est, vt tribuatur honos debitus Filio Dei, quod is sit solus, *λύτρον* pro nobis, & agnus DEI, qui tollit peccata mundi. **SECUNDA**, vt conscientia, habeant firmam consolationem. Si enim Remissio peccatorum, penderet ex dignitate nostrorum operum, semper esset incerta, ac mentes pauidæ & consternatæ, opprimerentur desperatione. **TERTIA**, vt conspiciatur discrimen Legis & Euangelij. Nam id vel maxime illustrat, particula **GRATIS**. **QUARTA**, vt inuocatio fieri possit, quam ex conspectu nostræ indignitatis impediri certum est.

LXIII.

His consideratis, facile agnosci & iudicari possunt, errores & corruptelæ, quibus semper Diabolus, hunc Articulum deprauare, & opprimere, conatus est. Etsi autem Sophistica infinita est, nec vllum fretum tot & tantos motus, tamq; varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes opinionum, & quantos æstus habet cor humanum, quoties de Iusticia coram DEO, sine luce Euangelij, cogitat: Tamen hæc immensa varietas ad hos tres gradus, tanquam ad præcipua capita, reduci potest.

LXIIII.

**PRIMVS** est Philosophicus seu Pharisaicus, qui immodicè extollit & laudat, Disciplinam & Ceremonias, easq; Iudicio DEI opponere non veretur: sicut testantur conciones Prophetica: Psal. 50, Esa, 1. 58, 66. Mich, 6. Ose, 6. Zach. 7, 8, &

7. 8. & ostendit exemplum Pharisæi Luc. 18. Huius gradus  
patrocinium, postea in Ecclesia Noui Testamenti, suscep-  
erunt Origenes & Pelagius, qui vires naturæ humanæ spolia-  
te & sauciata nimium amplificauerunt, & laudem iustificatio-  
nis, ceremonijs Mosaicis ereptam, operibus moralibus seu Dis-  
ciplinæ, quæ est misera & immunda hypocrisis, tribuerunt.  
Hos secuti Pontifices Romani & Monachi, hunc primum  
gradum noua accessione commenti de merito congrui & con-  
digni, & πῆς ἐδελοθησκειας satisfactionum in immensum auxe-  
runt. **SECUNDVS** Gradus est, Synecdoche sophistas-  
rum in Regno Pontificio, Sphingis Augustanæ, Esauitarum,  
Osiandri, & similium, qui propositionem Paulinam, Fide  
iustificamur, de Fide formata dilectione, interpretantur, vt sit  
sententia: nos partim Fide, partim operibus iustos esse, vel  
nos Fide preparari ad iustificationem, vt simus deinde alia re  
Iusti, videlicet nouitate spiritali, infusa seu inhærente iusti-  
cia Essentiali. **TERTIUS** Gradus, est, blasphemum  
decretum Synodi Tridentinæ, de Fide generali, coniuncta  
cum dubitatione. Hic gradus confirmat Ethnicas imagina-  
tiones: Pugnat cum natura Fidei & promissionis, quæ sunt  
Correlatiua: Tollit vsum Mediatoris & Sacramentorum:  
Denique prorsus delet Articulum symboli, **CREDO RE-  
MISSIONEM PECCATORVM**, qui, vt Au-  
gustinus ait, Psalm. 5: est inuictissimum scutum, quo repelli-  
tur inimicus, desperationem suggerens, multitudinem tribu-  
lationum & tentationum.

LXV.

Harum corruptelarum, & perniciosorum errorum, nulli  
prorsus assentimur, sed singulis constanter contradicimus.

D 2

Ac

Ac PRIMVM de Disciplina affirmamus, eam tantum in  
Iudicio Dei valere, quantum valebant folia ficu, quibus primi  
parentes post lapsum, suam nuditatem tegebant: Vnde Esa.  
64. dicitur: Omnes sumus immundi, & omnes iusticiae nos-  
trae, sunt similes panno polluto, & quasi folia cecidimus.  
Constat etiam, Paulum, excludentem opera a merito iustifica-  
tionis, de tota Lege loqui, Rom. 3. 7. Gal. 3. 4. Et memo-  
rabilis est refutatio corruptelae Origenicae, tradita ab Augus-  
tino, in libro de Spiritu & Litera: Si liberatio a Lege tantum  
ad ceremonialia pertinet, non profuit Patribus ante Moysen.  
Necesse est autem statuere, liberationem a Lege pertinere ad  
Vniuersam Ecclesiam, a principio mundi, vsq; ad finem. Qua-  
re absurdissimum est dicere, quod Christus liberauerit nos  
tantum a ceremonialibus. Contra εθελοθρησκείας Ethnicas &  
monasticas verò, retinemus Regulam a Christo traditam:  
Frustra colunt me mandatis hominum. DEINDE dignis-  
simam odio, & execrandam ab omnibus hominibus esse sta-  
tuimus, Synecdochen Papisticam, quam Esauitae & Enthusias-  
tae, nouis coloribus pingunt. Refutatur autem haec detestans  
da audacia, disertè particulis Exclusionis, toties a Paulo repeti-  
tis, sine Lege, sine operibus, Gratis, in semine, non in semina-  
nibus: Et Esa. 43. dicitur: Ego, Ego sum, Ego ipse sum, qui  
deleo iniquitates tuas, Esa. 63: Torcular calcavi solus, & ex  
populis nemo est mecum.

L X V I.

POSTREMO: toto pectore abhorremus ab impio decreto in  
Synodo Tridentina facto, quod homines in perpetua dubita-  
tione manere iubet, & Fidem specialem, qua vnusquisq; agens  
poenitentiam, sese in promissionem Gratiae Fide includit, ar-  
rogantiae & impudentiae condemnat. Hic error, omnis mali  
causa existit Deo & hominibus. Nam & Deo crimen falli ob-  
ijcit, 1. Ioh. 5: Et Euangelium prorsus abolet, & in veris do-  
loribus

loribus salutarem consolationem, conscientijs adimit, Denique  
homines ab inuocatione Dei arceat, & proximus gradus est ad  
desperationem. Opponimus autem huic blasphemo dogmas  
ti hæc quatuor *ἀντιδότη*, quæ nulla Sophistica eludi aut cor-  
rumpi possunt. Primum est natura promissionis Gratia,  
quæ non aliter nisi fide accipienda est, & quidem ea fide, quæ  
aduersa fronte repugnat dubitationi, sicut exemplum Abra-  
hæ ostendit, Rom. 4. Secundum complectitur usum  
Sacramentorum, in quo singulis seorsim & priuatim beneficia  
Filij Dei applicantur & obliuantur. Tertium est, ipsa  
vis & natura fidei, quæ dubitationi repugnant, sicut testantur  
effectus, de quibus concionatur Paulus, Roman. 5. Ephes. 3.  
Quartum est usus Mediatoris, quia dubitans, an recipiatur,  
non complectitur beneficium Mediatoris, sed relinquit eum,  
tanquam ociosum, nec accedit ad eum, nec confugit ad  
eius intercessionem. Hæc autem fuga mentis  
manifestè pugnat cum his dictis, Rom.

5: Per hunc habemus accessum,

Eph. 3: Per quem aude-  
mus accedere.



D 3

M. Com

M. CONRADVS  
BERGIVS.

LXVII.

SEmp̄ omnibus pijs in conspectu sit Scala, quam in campo  
Samaritiae vidit Iacob, in qua Angeli ascendunt & descen-  
dunt, Gen. 28. Vt enim Ascensus Angelorum significat actio-  
nes piorum cum Deo: ita Descensus significat actiones in &  
cum Ecclesia. Quoties autem cum Deo agimus, sola Fides do-  
minatur ac regnat, remotis operibus, tanquam arbitris. Hac  
enim Sola, Gratis, sine operibus, propter Christum, accipit  
donatam iusticiam, & vitam: Postquam verò sumus iustificati  
& accepti, per fidem, seu fiduciam Mediatoris, regredimur ex  
consilio & iudicio DEI, ad Ecclesiam, atq; edimus opera no-  
uæ obedientiæ, iuxta Decalogum, rectè intellectum, quæ &  
priuatim testantur, nos receptos esse in gratiam, & publicè in-  
currunt in oculos & aures aliorum, qui, conspectis & auditis  
his testimonijs, quæ lucent in patientia, inuocatione, confessio-  
ne, & reliqua obedientia, congruente electioni & vocationi  
nostræ iuxta Decalogum, non solum agnoscunt, quid in cor-  
de circumferamus: sed etiam exemplo nostro inuitantur, ad  
societatem Ecclesiæ, & ad amplectendam scientiam salutis, iux-  
ta dictum Christi, Matth. 5: Luceat lux vestra coram homi-  
nibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent Patrem ve-  
strum, qui est in cœlis,

LXVIII.

Postquam igitur recitata est vox Euangelij de promissio-  
ne gratiæ, de Reconciliatione, & de Iustificatione, quæ fit Fide,  
propter Filium DEI, & per eum, necesse est addi doctrinam  
de bonis operibus, seu de noua obedientia, quæ est, vt Paulus  
loquitur, Militare bonam militiam, & retinere Fidem, & bo-  
nam



nam conscientiam, 1. Tim. 1. In hac autem doctrina hæ quæ  
stiones explicandæ sunt: Quæ sint bona opera: Quomodo  
fieri possint: Quomodo placeant: Propter quas causas facien-  
da sint: Deniq; Quid sentiendum sit de reliquijs peccatorum  
in Renatis;

LXIX.

Primum igitur sciendum est: In non Renatis, seu ante  
Conuersionem, Bona opera, Deoq; placencia, seu cultus Dei,  
vt in Ecclesia loquimur, neq; esse, neq; fieri, neq; dici posse:  
iuxta illud Pauli, Rom. 14: Quicquid non est ex fide, pecca-  
tum, Et Hebr. 13: Impossibile est sine Fide Deo placere. Pri-  
mò enim persona Deo reconcilianda est, postea recipiuntur et-  
iam opera, ac fidem in vtroq; lucere necesse est. Quare discer-  
nendæ sunt virtutes Ethnicorū, ab operibus, quæ fiunt in Re-  
natis, & sunt cultus Dei, facta in agnitione Mediatoris, auxilio  
Spiritus sancti, vt Deus honore afficiatur.

LXX.

Vocamus autem Bona opera, non externa illa opera, quæ  
hypocritæ intuentur & admirantur, & humana audacia, extra  
verbum Dei, sunt excogitata: sed quæ à Deo ipso sunt manda-  
ta, & quorum summa compræhensa est in Decalogo, rectè in-  
tellecto, iuxta Christi, Prophetarum & Apostolorum enarra-  
tionem. Hæc enim vox sola est norma bonorum operum,  
exteriorum & interiorum, non humanæ imaginationes: Sicut  
dicitur Psal. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Num.  
15: Non sequantur cogitationes suas, & oculos meretricios:  
sed memores præceptorum Domini, faciant ea, & sint sancti  
Deo. Quia ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra  
Aegypti.

LXXI.

Externa opera diuinitus mandata, qualia sunt, opera dis-  
ciplinæ, & gubernatio locomotiuæ, fieri quidem, aliquo modo,  
posse

posse humana diligentia, manifestum est: sed interiorem obedientiam, sine cognitione Euangelij, & sine Spiritu sancto, ne inchoari quidem posse vniuersa Scriptura, & ipsa experientia spiritualis testatur. Mens enim ignara reconciliationis, aut contemnit Deum, aut fugit Deum: sed audita promissione Gratiae, erigitur Fide, Deumque accedit, & accipit Spiritum sanctum, qui & excitat nouos motus in corde, qualis est ipse, & est Spiritus Gratiae & precum, Zach. 12. testificans in cordibus nostris, quod Deus nobis sit propicius, simulque mouet corda nostra, eorumque infirmitati opitulatur, vt promissioni assentiantur, & auxilium Dei promissum ardenti inuocatione implorent.

LXXII.

Quaquam autem etiam illa, in nobis a Spiritu sancto inchoata, obedientia interior, longè abest a perfectione Legis, & manca, mutila, multisque coinquinata est sordibus, vt testatur Esa. 64. Omnes iusticiae nostrae sunt similes panno polluto: tamen in conuersis Deo placet, si sit *ἡ ἀνομιὰ καὶ τὸ ἁμαρτάνειον*, vt Euagrius Episcopus Antiochenus loquitur, iuxta illud Pauli Rom. 14. Qui in his seruit Christo, placet DEO & hominibus. Et 1. Pet. 2. Offerre hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Grata igitur mente agnoscenda & praedicanda est immensa Dei bonitas, quod languidum istud in nobis bene operandi studium, & obedientiam nostram imperfectam sibi placere, seque ipsius honore affici affirmat: cum reliquiae peccatorum, quo ad Materiale, etiam in renatis in hac vita manent, Vt sunt, interiora mala, caligo in mente & dubitationes variae de Deo, eiusque cum promissionibus tum comminationibus, pravae inclinationes, & flammæ vitiosorum affectuum, & multiplices ignorantiae & omissiones non affectatae: quas tamen sancti deplorant, eisque Spiritu repugnant, ac propter Mediatorem tegi assidue precantur.

LXXIII.

Has

Has infirmitates, quæ cum gratia stare possunt, & Spiritum Sanctum non excutiunt, teste Paulo Rom. 5. Nulla nunc est condemnatio ijs, qui in Christo Iesu sunt, & non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulant, distinguimus à lapsibus atrocibus, qui fiunt à Scientibus & Volentibus. Quales sunt, ignoratio Articulorum Fidei, aut pertinax error in Fundamento, & lapsus contra conscientiam. Si enim in his illi, qui antea renati fuerant, perseverauerint, nec per poenitentiam ad Deum redierint, certum est, eos Gratia Dei, in qua modò stabant, excidere, Spiritum sanctum amittere, & rursus fieri reos iræ ac damnationis æternæ: sicut scriptum est Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, idolatria &c. Talia qui faciunt, regnum Dei non possidebunt, 2. Pet. 2. Cum redeunt ad vomitum, ut canes, fiunt eis postrema deteriora prioribus. Matth. 12. Dicit Spiritus impurus: Reuertar in domum meam, vnde egressus sum. Et cum venit, inuenit eam *χολάσασα, σεσαρωμένην, καὶ κεκοσμημένην*, id est, vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc abit & assumit septem Spiritus alios peiores se, & ingreſsi habitant illic, *καὶ γίνεται τὰ ἕκαστα τῶν ἐνδρώων ἐκεῖνῃ χειρόνα τῶν πρώτων.*

LXXIII.

Quare Nouam obedientiam seu Iusticiam bonæ conscientia, in omnibus Renatis, necessariam esse asserimus, etiam si non est meritum seu causa efficiens principalis, aut minus principalis, neque vel totalis, neque partialis iusticiæ nostræ coram Deo, & salutis æternæ.

LXXV.

Sicut autem, non utimur hac Propositione: Bona opera sunt necessaria ad salutem, quia de merito intelligitur, & tanquam pomum *ἔσθῃ* arripitur, ad inflammanda dissidia publica: & Apostoli, in decreto Synodico, quod Acto. 15. exiat, tres tetros & perniciosos effectus recitant, de necessitate meriti bonorum operum ad salutem: quorum PRIMVS est

E καὶ ἕκασ-

*πειρασμὸς θεοῦ*, id est, tentatio DEI. Secundus est, *ταραχὴ τῆς ἐκ-  
 κλησίας*, hoc est, confusio Ecclesiae cum alijs sectis, & perturbas-  
 tio concordiae Ecclesiasticae. TERTIVS est, *ἀνασκευὴ τῶν  
 ψυχῶν*, h. e. conuulsio & labefactatio praecipuae consolationis,  
 qua, velut in fundamento seu portu, animae acquiescunt; ita ab-  
 horremus à barbarica Hyperbole, in qua dicitur, Bona opera  
 esse pernicioſa, vel officere saluti. Est. n. contumeliosa aduersus  
 Spiritum sanctum, & eius dona, & confirmat *ἀσέλγησιν* Antis-  
 nomicam, deniq; pugnat secum in explicatione. Nam, vt Au-  
 gustinus ait, Psal. 67. Ea sola dicenda sunt bona Opera, quae  
 fiunt per dilectionem DEI.

LXXVI.

Nec verò illam necessitatem intelligimus, de violenta  
 quadam coactione, sicut Antinomici praestigiatores hanc for-  
 mam loquendi Apostolicam exagitant: sed opponimus *ἀδία-  
 φόρῳ*. Suntq; huius necessitatis, Quatuor Gradus. PRIMVS,  
 est necessitas mandati & debiti, quae est ordinatio Dei aeterna  
 & immutabilis, qua creatura rationalis obligatur, vt Creatoris  
 DEI voluntati, certo & expresso verbo reuelatae, obtemperet,  
 etiamsi id sit sine coactione, vt, Angelus debet DEO obedi-  
 entiam, etiamsi eam volens praestat. Imò hoc ipsum est debi-  
 tum, vt sit maximè voluntaria & spontanea obedientia. De hac  
 necessitate concionantur haec dicta. Ezech. 20. In praecipis  
 meis ambulate, 1. Thess. 4. Haec est voluntas Dei, sanctificatio  
 vestra. Et hunc Gradum vehementer vrget Paulus, Rom. 8.  
 inquit: Debtores sumus, non carni, sed spiritui, &c. Item,  
 1. Cor. 6. ait, nos non esse nostri iuris, sed eius, qui redemit nos  
 precio. Non enim Filius DEI, ideo sudauit sanguinem, & ins-  
 effabiles dolores, vsq; ad mortem crucis, sustinuit, vt abiecto  
 studio pietatis, & iusticiae, furenter laxemus frena cupiditatis  
 bus, sed vt etiam in nobis opera Diaboli destruantur, ipsius,  
 scilicet, merito & efficacia, donantis nobis Remissionem peccato-

eatorum, & imputationem iustitiæ, & Spiritum Sanctum, re-  
nouantem nos ad imaginem, ad quam natura nostra in initio  
fuit condita, vt simus templa DEI, & peccatis mortui viuamus  
iustitiæ.

LXXVII.

SECUNDVS gradus est, Necessitas retinendæ Fi-  
dei. Etsi enim Christus ipse est Inchoator, Dux & Consumma-  
tor Fidei nostræ, Phil. 1. Hebr. 12. 1. Pet. 1: Tamen certum  
est, non conseruari Fidem in his, qui ruūt in scelera contra con-  
scientiam. Quod enim Fides amittatur peccatis contra conscia-  
entiam, ac in ijs, qui peccatis indulgent, & in ijs perseuerant,  
tandem prorsus extinguatur, locuples testis est Paulus, 1. Ti-  
moth. 1: Milita bonam conscientiam, *ἢ προσφκτείας, ἔχωρ πίσιν  
καὶ ἀγαθῶν σωείδισιν ἢρ τινες ἀπωσάμωοι περὶ πλὴν πίσιν ἐνανάγισσων.*  
Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. 1. Tim. 5.  
Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet,  
Fidem abnegauit, & infideli est peior: TERTIVS est, ne-  
cessitas vitandi pœnas. Lex enim iniusto est posita, 1. Tim. 1:  
Et rectè dicit Dauid, Psal. 39: Propter iniquitates corripit homi-  
nes, Iob. 9: Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parcis  
delinquenti. QVARTVS Gradus est necessitas vitandi  
Scandala. Vult enim DEVS, vt bonis exemplis alios inuite-  
mus, & scandala fugiamus. De hoc gradu concionatur Chris-  
tus, Matth. 5. Luc. 11: Luceat lux vestra coram hominibus,  
vt videant vestra Bona Opera, & glorificetur Pater vester, qui  
in coelis est. Matth. 18: Væ homini, per quem venit Scanda-  
lum, 1. Cor. 10: Omnia facite ad gloriam DEI. 1. Pet. 2: Cha-  
rissimi, conuersationem bonam inter gentes habete, vt Bona  
Opera vestra considerantes, desinant vobis maiedicere, & glo-  
rificent DEVM.

Ad hanc primam causam, quæ complectitur Quatuor gradus Necessitatis, accedat etiam Consideratio aliarum causarum, propter quas facienda sunt Bona opera. Est igitur **SECUNDA CAUSA**, Dignitas, quæ æstimari debet & potest, ex consilio & fine, summorum operum & beneficiorum Dei, quæ in Symbolo recensentur. **PRIMUM** est Creatio: Sumus enim initio conditi à DEO ad hunc finem, ut DEVM celebremus, vera agnitione, & perfecta obedientia, sicut docent conciones Pauli de Imagine DEI, Ephes. 4. Coloss. 3. & Ephes. 2. dicitur: Ipsius opus sumus, conditi ad Bona opera, quæ præparauit DEVS in Christo Iesu, ut in eis ambulemus. **SECUNDUM** est Redemptio, cuius finis est mutatio Domini, de qua dicitur, Rom. 6: Liberati à peccato, serui facti estis Iusticiæ. Et de hoc fine Redemptionis Zacharias, Pater Baptistæ, inquit: Liberati de manu inimicorum nostrorum, seruiamus ipsi, in Sanctitate & Iusticiâ, coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ. 1. Pet. 4: Christus pertulit peccata nostra in suo corpore super lignum, ut peccatis mortui, Iusticiæ viuamus. **TERTIUM**, est Sanctificatio. Cum enim Fide accipitur Spiritus sanctus, fit Viuificatio, & accenduntur tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus. 2. Timoth. 1. Dedit nobis Spiritum roboris, dilectionis & modestiæ. 1. Ioh. 3: Omnis, natus ex Deo, peccatum non facit, quia semen DEI in eo manet. Item: Omnis, qui non facit Iusticiam, non est ex DEO. **QUARTUM**, Resuscitatio ex morte, ad gloriam & vitam sempiternam, de qua dicitur, 1. Iohan. 3: Omnis, qui habet hanc spem, sanctificet se, sicut & ille sanctus est. Tit. 2: Viuamus in hoc seculo piè, iustè, & modestè, expectantes beatam illam spem, & reuelationem gloriæ magni DEI, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

## LXXIX.

**TERTIA CAUSA** proponitur nobis in usu Sacramentorum. Et si enim omnium Sacramentorum principalis finis est, ut sint sigilla Iusticiæ Fidei, h. e. testimonia seu pignora exhibitæ & applicatæ promissionis gratiæ: Tamen simul sunt obligationes ad Nouam Obedientiam, & multiplices commonefactiones de bonis operibus. Etenim de Baptismo dicitur Rom. 6: Sepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem, ut cum eo resuscitati, in nouitate vitæ ambulemus. Et 1. Pet. 3. nominatur Baptismus stipulatio bonæ conscientiæ erga DEVM. Deniq; concio Pauli 1. Cor. 10. 11. docet, Cœnam Domini simul esse Symbolum & vinculum, obligans nos ad confessionem, gratiarum actionem erga DEVM, & ad fraternum amorem, & mutuam dilectionem inter membra Ecclesiæ.

## LXXX.

**QUARTA CAUSA** deducit nos ad exempla æterni Patris, qui nos pro filijs sibi carissimis suscipit & habet, Ose. 1. Ioan. 1: Rom. 8. Gal. 3. 4. 1. Ioh. 3: & Filij eius, Domini nostri Iesu Christi, qui non erubescit, nos fratres suos appellare, Psal. 22. Heb. 2. Ut enim liberi, non monstrofi, aliquam paternæ auitæq; virtutis similitudinem referre solent, eaq; mirificè gaudent & delectantur, ne ab alienis suscepti videantur: Ita omnes pios decet in eo potissimum, adiutore Spiritu Sancto, elaborare, ut nomen suum coram DEO & hominibus sonent, & eum vitæ cursum teneant, qui quàm proximè ad Imaginem DEI Patris, & Fratris nostri Domini Iesu Christi accedat, nec pugnet cum his appellationibus, quibus nihil præstabilius cogitari potest. De hac causa concionantur hæc dicta: Luc. 6: Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. 1. Pet. 1: Perfectè sperate, tanquam Filij obedientes, Matth. 11: Discite à me, quia mitis sum, & humilis cor

de. Ioan. 13 : Exemplum præbui vobis. Phil. 2 : In affectus sit  
in vobis, qui fuit in Christo. 1. Pet. 2 : Christus pro nobis passus  
est, relinquens nobis exemplum, ut insistantur vestigijs  
ipsius.

LXXXI.

QVINTA & postrema causa est, Expectatio præmio-  
rum Spiritualium & corporalium in hac vita, & post hanc vi-  
tam. Tanta est enim erga homines bonitas DEI, ut nostra  
velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largi-  
tus est, æterna præmia sit donaturus, ut ex Augusti. scribit Pro-  
sper, ad Gallicos Episcopos. De hac causa splendide concio-  
natur, Psal. 112. quam concionem Paulus hoc breui Aphori-  
simo complexus est, 1. Tim. 4 : Pietas ad omnia utilis est, ha-  
bens promissionem præsentis & futuræ vitæ.

LXXXII.

Vult autem DEVS fidem, in bonorum operum præ-  
mijs promissis, exerceri, ut illa crescat, ac nos inuitet, ut si-  
mus in vocatione, & totius vitæ moribus & actionibus, iuxta  
normam verbi DEI, regendis, diligentiores, & laborum par-  
tim adminicula, partim compensationes ab ipso petamus & ex-  
pectemus : Tantùm excludatur opinio operis operati, & di-  
gnitatis, quòd per sese coram DEO tantum sint, ut quidquam  
bonorum possint mereri, ac de ijs cuiquam in conspectu DEI  
liceat gloriari, sicut facit Phariseus, Luc. 18. Melior enim est  
in factis malis humilis confessio, quam in bonis, ut Augusti-  
nus ait, superba gloriatio.

LXXXIII.

Hæ causa bonorum operum semper nobis in conspectu  
sint, non tantùm ad refutandos aduersarios omnium ordinum,  
sed etiam ad nos ipsos, harum consideratione, inflammandos  
amore & studio iustorum & sanctorum operum. Qui enim  
his



his causis non mouentur, his sine vlla dubitatione sunt ex eor-  
rum numero, de quibus dicitur: Qui facit peccatum, ex Dias-  
bolo est, I. Ioan. 3.

LXXXIII.

Cum autem nemo non contrarium eius, quod probauit,  
reprobet, vt Tertullianus loquitur, lib. 4. contra Marcionem:  
*ἀντίθετον* quoque addemus. Ad PRIMVM detestamur auda-  
ciam Phariseorum & Pontificiorum, qui relicto verbo DEI  
multa opera excogitauerunt, quibus opinionem cultus affin-  
xerunt: vt sunt, vita monastica, vita impuri coelibatus, con-  
spersio aquæ lustralis, cultus statuarum & sanctorum, inuo-  
catio mortuorum, peregrinationes variae ad loca longinqua,  
religionis ergo susceptæ, adoratio & circumgestatio panis  
consecrati, sacrificium Missæ, & similia portenta, & supersti-  
tiones, quæ à Paulo *ἑθελουθησεν κεία*, Col. 2, & *ἰδασκαλίαι δαιμονίων*  
appellantur, I. Tim. 4.

LXXXV.

SECUNDO, ex agro & finibus Ecclesiæ exterminan-  
das censemus Hypocritarum corruptelas, qui etiam opera,  
diuinitus mandata, non eo, quo præcepta sunt, modo, ordine  
& sine præstant, ac opera ceremonialia valere existimant, ex  
opere operato, sine bono motu cordis: eaque etiam moralibus  
præferunt, non DEI sed suum aucupantes honorem, teste  
Christo, Mat. 6.

LXXXVI.

TER TIO, improbamus & reijcimus Monachorum  
impudentiam & vanitatem, statuentium opera supererogatio-  
nis, ac fingentium, se etiam plura & maiora posse facere ope-  
ra, quàm quæ mandata sunt voce Decalogi.

LXXXVII.

QUARTO, abhorremus ab eorum somnijs & arrogantia,  
qui admiratione disciplinæ, suæque sanctitatis (quæ tamen nulla  
est) etiam Ethnicorum virtutes politicas, operibus credentis-  
simas faciant, hisque DEVM coli contendunt.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

QVINTO, improbamus & reijcimus Pontificiorum blasphemias, qui manus suas osculantes, vt Iob loquitur, cap. 31, se suorum operū meritis, vitam æternam posse mereri, confidunt, contra dictum Pauli; Donum Dei est vita æterna, Rom. 6.

LXXXIX.

SEXTO, Dignissimos odio & execrandos esse iudicamus Anabaptistarum & similiarum furores, qui omnes suos impetus, Spiritus sancti motus esse imaginantur, & nolunt se Lege DEI gubernari.

XC.

SEPTIMO, execramur etiam Antinomorum clamores, eosq; vt Sirenum cantus, fugiendos esse censemus, qui dicunt, DEO non esse curæ Bona Opera, ac renatos, etiam atrociter lapsos, non contristare, neq; excutere Spiritum sanctum, & Fidem: Nec volunt, Legem Moralem in Ecclesia doceri, sed eam ad curiam, & ad curuos relegant, ac securitatem & ἀσφάλειαν in multorum animis, his suis κενόις λόγοις, confirmant.

XCI.

Hanc explicationem doctrinæ de Iusticia Fidei, & de Bonis Operibus, iudicamus veram esse, & consensum Catholicæ, & Orthodoxæ Ecclesiæ DEI perpetuum. Cum autem veritas sola humana diligentia retineri non possit, toto pectore oramus Filium DEI, vt per Spiritum sanctum, hanc æternam & immotam veritatem, in nostris & multorum pectoribus obli- gnet, obli- gnataq; conseruet, semper etiam colligat inter nos

Ecclesiam, cui suam Sapientiam, Bonitatem & Iustici- am in omni æternitate communicet.

A M E N.

F I N I S.

Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gr̄a Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dōe de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzi.

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezob. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babel, Mesob. 2. qd p̄ hoc vocab. Turca significat  
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezob. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in quā tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad loca dōe ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuiā rāone sit repri. mēdō. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medietate fūditū sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dōe de reali communiōne idiomatū in unā P̄sonā Dni, M. Berndes.

Dōe de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.


Them. Theol. de orali corporis Dni in cenā manducatiōe dicitur Eucharistia D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatū reali tertii gr̄i, D. GESNERI.



manus qui erant in  
 eius manu; et cum  
 principes regum in  
 nocte adhiberent  
 sibi omnes erant  
 dormientes. Et  
 cum in nocte statim  
 appareret nabuchodonosor  
 rex et dixit ad  
 eos. Vobis somnia  
 videri et linguas  
 audierunt somnia  
 et fabule. et exortati  
 sunt et psalterium  
 dixerunt et vana  
 fecerunt. carentes  
 dixerunt. autem  
 rex nabuchodonosor  
 quis autem non  
 scitis. ad hoc  
 dixerunt. non  
 scimus.





PROPOSITIONES  
REPETENTES 33  
SUMMAM VERÆ ET  
in corruptæ doctrinæ,

De Iusticia Fidei,  
ET  
De Bonis Operibus:  
DE QUIBUS, DEO IUVANTE,  
pro Licentia accipiendi gradum Doctorum in  
Theologia respondebunt Reuerendi, &  
Integerrimi Viri:

M. JOANNES FLEISSERVS,  
*vocatus ad gubernationem sanctissimi Ministe-  
rii Ecclesiastici in Inclyta Republica Uratista-  
uiensi:*

M. CONRADVS BERGIVS, P A-  
*stor Ecclesie Cathedralis in Inclyta veteri Urbe  
Pomerania Stetino:*

P R A E S I D E  
Daude Voito Doctore,

Die IIII. Iulij, Anno M. D. LXXXIX.  
VVitebergæ Excudebat Matthæus VVelack.

